

voluntate potest sequi efficax motus intendendi assecutionem talis finis. Unde non stat casus patris Torres, quod desit firmitas illi spei regulatæ per fidem acquisitam, et maneat vera ratio spei, quia ablata certitudine mediorum ad finem tollitur certitudo, et efficacia in intentione talis finis, quia intentio est de fine, ut assequendo per media; fides autem acquisita potest quidem speculative proponere res supernaturales, sed practice non potest dare certitudinem, cum ipsa in certo motivo nitatur; unde non manet vera spes in hæretico, sed præsumptio erga Deum assequendum.

IX. Ad secundum respondetur esse disparem rationem de spe, et de fide, et charitate, quia charitas, si est acquisita, non tendit in Deum auctorem supernaturalem, sed ut est naturalis finis, unde non est ad propositum; nam etiam potest dari spes acquisita de assecutione Dei auctoris naturalis, id est, ut cognoscendo per effectus, et non in se; fides autem potest ex testimonio creato credere Deum auctorem supernaturalem, tamquam rem creditam, res enim superiores possunt per inferiores attingi, licet imperfecte. Et similiter voluntas potest ex motivo naturali attingere Deum auctorem supernaturalem, sed tamen neque efficaciter ut requiritur ad motum spei, ex defectu proportionati motivi, neque licite ut requiritur ad amorem honestum ex defectu debiti finis, qui est motivum amandi. Nam si propter ipsum Deum tamquam finem cujus gratia, imperfecte concupiscat illum sibi ut subjecto, non ex motivo naturali, sed supernaturali amatur: quod vero aliquis cognoscat Deum ex testimonio creato nihil indebiti finis, et motivi apponit, quo talem cognitionem illicitam reddat.

## DISPUTATIO V.

DE SUBJECTO SPEI THEOLOGICÆ, EJUSQUE CERTITUDINE.

## ARTICULUS I.

*Utrum in beatis maneat habitus, vel actus spei theologicæ?*

I. In hac difficultate opponuntur inter se pater Suarez et pater Vazquez, consequenter ad ea, quæ docuerunt de formali ratione habitus spei, ut articulo primo disputationis præcedentis visum est; etenim pater Suarez existimat manere habitum spei in patria, non tamen quantum ad denominationem spei, quia tollitur principalis actus ejus, qui est sperare beatitudinem, sed manet quoad alios actus, qui etiam ab isto habitu eliciuntur, et quoad actus secundarios sperandi, sicut spes de gloria corporis, de beatitudine aliorum, et similes alii, qui statui beatitudinis non repugnat. Ita habet in tractatu de spe, disp. I, sectione ultima, num. v, et III part. disp. VII, art. IV, in commentario articuli. At vero pater Vazquez I tom. III part. disp. XLIII, cap. II, per oppositum existimat habitum spei theologicæ non manere in patria; posse tamen dari actum spei theologicæ proprium, et principalem.

II. Fundamentum istarum sententiarum ex dictis in articulo primo disputationis præcedentis deducuntur, et fere omnia expedita sunt. Existimat ergo pater Suarez, habitum spei non esse solum principium actus sperandi, sed etiam concupiscendi, desiderandi, gaudendi,

etc. Et ad istos actus in patria manere habitum illum, licet non sub denominatione spei, respectu ipsius beatitudinis, et similiter potest manere iste habitus ad alios actus secundarios sperandi sicut ad sperandum gloriam corporis, et alia objecta similia, nam respectu talium objectorum manet in beatis sufficiens ratio ardui, quia licet sit debita gloriæ animæ ipsa gloria corporis, respectu tamen voluntatis, et naturæ simpliciter manet bonum supernaturale; ergo bonum excedens et arduum, utpote dandum per alterius auxilium; ergo potest actum spei terminare. Et similiter ad sperandum aliis beatitudinem potest deservire beatis ille habitus, quia non solum ex charitate possunt illam desiderare alii, sed etiam tamquam adhuc futuram, et arduam, et non possessam, possunt illam sperare. Ac denique possunt habere illum actum conditionatum, quod si haberent beatitudinem, sperarent illam, qui actus sufficit, ut maneat talis habitus, sicut ad similes actus conditionales manent virtutes morales, ut infra ponderabitur.

III. At vero pater Vazquez ex alio fundamento procedit, quia existimat ad rationem spei theologicæ sufficere, quod sub ratione divini auxilii speretur, quodcumque bonum, sive creatum, sive increatum, et hoc ipso manet sufficienter arduum, quia speratur ut dandum per alienam potestatem. Et cum beatus possit respicere aliquod bonum creatum, ut futurum sibi per divinam potestatem, potest habere actum spei theologicæ. Habitum tamen dicit de facto non habere beatos, quia esset in illis otiosus, si quidem de facto nihil illis deest, quod sperent, gloria enim corporis, quæ modo deest non cogit, ut ponamus habitum, quia facta resurrectione non

est amplius speranda, atque adeo, tunc deberet talis habitus amitti: est autem inconveniens, ut in beatis amittatur habitus quem semel habent, et sic convenientius est, quod modo amittant illum, et pro isto brevi tempore, usque ad resurrectionem detur illis ad sperandum auxilium per modum transeuntis. Ad ea vero quæ de potentia absoluta possunt sperare, non est necesse ponere habitum, sed si aliquid Deus illis promiserit dare, ex auxilio transeunti poterit.

IV. Dico primo: In beatis, neque manet actus, neque habitus spei theologicæ, erga principale objectum. Est expressa D. Thomæ hic quæst. XVIII, art. II, et 1-2, quæst. LXVII, art. V et IV, et III part. quæst. VII, art. IV. Et communiter traditur a patribus, et theologis, qui videri possunt apud Lorcam hic disputatione VII. Et quidem de actu sperandi principale objectum, nulla est difficultas; constat enim beatitudinem possideri et videri, spes autem quæ videtur non est spes: *Quod enim videt quis, quid sperat?* ut dicitur Roman. VIII; de continuatione autem beatitudinis de qua aliqui dubitant, etiam constat non posse esse objectum spei; tum, quia illa continuatio non est futura, cum vita æterna careat futuro, hoc ipso quod æterna est, sed est tota simul ut S. Thomas advertit hic quæst. XVIII, art. II ad secundum; ubi non vult dicere D. Thomæ, quod quia omnes sunt præsentia in æternitate, ideo non habet illa beatitudo rationem futuri, ut perperam intellexit illum pater Torres, hic disp. LXII, dub. I, commune est enim omni creaturæ existere sic in æternitate; sed sensus D. Thomæ planus est, quod visio beatifica secundum propriam mensuram, non mensuratur tempore in quo solum invenitur futurum et præteritum, sed mensu-



ratur indivisibili, nunc excludente omnem successionem, et futuritatem, quæ mensura vocatur æternitas participata; tum, quia etiam si illa continuatio esset futura, non haberet rationem ardui, qui perpetuitas est intrinsece debita illi visioni, quia est vita æterna. Unde sicut Angelus vel anima non habet spem de continuatione sui esse, vel sui intellectus, aut voluntatis, multo minus potest habere spem, aut concipere rationem ardui in sua beatitudine. Ita S. Thomas quæstione disputata de spe, art. iv ad tertium.

V. De habitu vero non est ita facile assignare a quo destruat in patria, si quidem alii habitus virtutum manent, vel ad alios actus quos habent in via, vel ad actus conditionales, vel tantum ad ornatum. Nec apparet quod contrarium sit in patria, quod directe, et per se evacuet istum habitum, quia talis habitus ei contrarius deberet esse in voluntate, in qua tamen præter habitum charitatis non est alius, qui possit excludere habitum spei; charitas autem illi habitui non opponitur. Igitur diversæ asseruntur rationes, quibus habitus spei destruitur. Prima, quia ejus actus est impossibilis impossibilitate perpetua et habituali, impossibilitate autem actu destruitur habitus, qui intrinsece ordinatur ad illum: secunda, ex superfluitate, quia otiosus esset habitus, qui nihil potest operari. Hanc rationem assignat S. Thomas 1-2, quæst. lxxvii, art. iv ad tertium, et quæstione disputata de spe, art. iv ad undecimum. Tertia, ratione status, quia non decet statum perfectissimum virtus supponens statum imperfectissimum, qualis est status viæ, unde habitus, qui est proprius hujus status non debet manere in patria, fides enim et spes non sunt absolute virtutes hominis, nec simpliciter

testificant, et componunt voluntatem hominis, sed voluntatem viatoris. Quarta ratio est ex parte habitus oppositi spei, qui est comprehensio habitualis, quæ succedit spei in gloria. Hæc autem comprehensio ut inquit S. Thomas in supplemento tertie partis, quæst. xcvi, art. v ad tertium: « Non importat distinctum habitum a visione, et dilectione (id est, ab habitu luminis gloriæ, et charitate consummata) sed importat remotionem impedimentorum, ex quibus efficiebatur, ut mens non posset Deo quasi præsentialiter conjungi, et hoc quidem fit per hoc, quod ipse habitus gloriæ animam ab omni defectu liberat, sicut quod facit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmatibus, et ad prædominandum corpori, et ad alia hujusmodi, per quæ excluduntur impedimenta, quibus fit ut nunc peregrinemur a Domino. » Ita D. Thomas, ubi aperte ponit comprehensionem per modum habitus, de qua dixerat solutione ad secundum, quod succedit spei. Hæc ergo habitualis comprehensio quatenus succedit spei evacuat ejus habitum, nec opus est quod sit habitus distinctus a charitate, et lumine gloriæ, sed includit utrumque, et disponit voluntatem habitualiter dispositione opposita habitui spei, et sic non excluditur per charitatem secundum se consideratam, sed ita consummatam ut relinquat voluntatem dispositam dispositionibus oppositis statui, et habitui peregrinationis. Imo ab ipso lumine gloriæ radicaliter excluditur spes, quatenus immediate excludit habitum fidei, in qua radicatur spes, unde remota fide habitualiter, ex quacunque causa, sive ex abnegatione fidei ut in hæretico, sive ex evidentia objecti clare visi, removetur habitus spei, radicaliter a lumine gloriæ, formaliter ab indispositione habi-

tuali opposita dispositioni spei quam causat.

VI. Dico secundo: Non manet spes theologica quoad actus sperandi secundarios, verbi gratia respectu gloriæ corporis, et similium. Rationem hujus reddit S. Thomas locis supra allegatis, quia spes theologica respicit bonum increatum, ut principale objectum quod sperat, reliqua autem bona sub aliqua connotatione, et habitudine ad illud primum bonum, vel tamquam ad ejus assecutionem conductiva, vel ut ab ejus assecutione derivata; cum enim ista duo attingantur a spe theologica, scilicet bonum increatum, et creatum, oportet quod aliquo ordine attingantur, et non ex æquo; unde oportet quod unum attingatur ut subordinatum, et coordinatum alteri. Non autem Deus attingitur sub habitudine subordinationis ad creaturam, sed e contra sub habitudine creaturæ ad Deum, quare ab illa virtute, quæ attingit sperando Deum, et creaturam, et non creaturam solam, implicat attingi, et sperari creaturam, nisi sub ordine ad Deum, et supponendo Deum tamquam objectum primum. Si ergo spes non possit amplius respicere Deum, tamquam objectum primum speratum, solvitur species illius virtutis et solvitur in objecto creato illa habitudo ad Deum speratum, ratione cujus attingebatur a tali virtute spei, habente pro objecto sperato Deum, et creaturam.

Nec potest aliquid responderi huic rationi, quod sit alicujus momenti, nisi vel negando quod ipse Deus speratus sit objectum primum spei theologice, vel quod ipsa spes theologica non specificetur nisi a formali ratione, quæ est divinum auxilium, omnino vero per accidens se habeat, quod res sperata sit Deus vel creatura, aut denique quod potest manere objectum secundarium, ut

secundarium est, destructo primario. Primum est impossibile, nec ipse pater Suarez id negat, qui fateatur principalem actum hujus virtutis esse actum spei circa beatitudinem essentialem, gloriam autem corporis esse objectum secundarium ut patet in tractatu de spe, disp. i, sect. i, num. v et vi. Si enim principale objectum speratum non est Deus, quomodo creatura erit principale objectum, Deus autem minus principale; nisi forte nullum ei principale objectum assignemus, sed ex æquo, et indifferenter omnia respiciat, quod est incidere in secundum membrum, quia tunc solum habebit pro certo, et determinato specificativo, rationem formalem divini auxilii, nullum vero objectum materiale per se pertinebit ad specificationem hujus virtutis, quod supra disputatione præcedenti, articulo primo destruximus. Tertium vero dici non potest, quia objectum secundarium non manet in ratione secundarii, nisi ex habitudine ad primum, et subordinatione ad illud, quare remoto primario cessat talis habitudo, et ipsum objectum secundarium, si manet, transit in primum, et consequenter variatur specificatio virtutis. Manente ergo spe theologica sicut est in via, quantum ad suam speciem repugnat quod eliciat in patria talem actum secundarium.

VII. Argumenta patris Suarez, quia non solum procedunt circa actum sperandi gloriam corporis, et alia objecta creata tamquam secundaria, eo modo quo attinguntur a spe theologica, sed etiam absolute, et ut possunt attingi a spe communiter dicta, ideo in sequenti articulo commodius dissolvuntur.